



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLXXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Imperatorem. Gratulatur de eius incolumitate. gaudet ipsum aduenturum esse statim in Italiam. hortatur vt mature Romanae ecclesiae auxilio veniat, & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD CAROLVM IMPERATOREM.

Gratulatur de eius incolumitate. gaudet ipsum aduenturum esse statim in Italiam. hortatur vt mature Romanæ ecclesiæ auxilio veniat, & Guidonem prædatorem ab ecclesiæ finibus eiici iubeat.

*Carolo imperatori.*

**C**OGNOSCENTES de vestra incolumitate, quod opido videbamus, Deo gratias egimus, & vt magis ac magis prosperitatibus, & innumeris gaudiis fulciamini, maiestatem diuinam supplicibus votis omnimodo flagitauimus, scientes & multis experimentis discentes, quod vos eadem vultis, eadem quippe desideratis. quoniam si nostra mediocritas viguerit, & valuerit illa vos facturos hortabitur, vnde & sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ defensio augmentabitur, & vobis copiosâ merces in cælo in perpetuum reponetur. Quod autem dicitis, vt postpositis ceteris curis, iter vestrum in Italiam recto itinere ordinatum habeatis; grato animo suscepimus, & vt vtinam non solum Papiæ, verum etiam propius essetis, necessitas maxima deposcit. Ideoque quod cœpistis, cum Dei adiutorio, velociter vestra sublimitas perficere studeat; & ad defensionem, imo securitatem sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ, sicut dixistis, ceteris curis postpositis, mente & brachio potenter occurrat: quia quantis affligatur & conculcetur angustiis, iam dicere non valemus. Ceterum de Vvidone Rabia, inuasore scilicet, & rapaci, vestra gloria subueniat, & eum de finibus nostris, vt aliquantulum populus noster releuari valeat, eiicere modis omnibus iubeatis. Data III. Idus Nouembris.